

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Detractio c
cum fontibus proximo, medio et primo

Plus nocent in membris detrahentes Christo
quia animas creditorum interficiunt
quam qui eius carnem
mox resurrecturam peremerunt.

Augustinus in glossa super illud Psalmorum:
Pro eo ut me diligenter detrahebant michi.

Quia super illud Psalm. [PS.108, 4],
Pro eo ut me diligenter, detrahebant mihi,
dicit Glossa:
Plus nocent in membris detrahentes Christo,
quia animas creditorum interficiunt,
quam qui eius carnem,
mox resurrecturam, peremerunt.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae*,
Secunda secundae, 73.3.1 (P. Caramello ed.,
vol.2, p.353).

Pro eo ut me. Augustinus.
Plus nocent in membris detrahentes christo:
quia animas creditorum interficiunt
quam qui carnem eius
mox resurrecturam peremerunt.

Glossa ordinaria, liber Psalmorum, 43
(Biblia Latina cum glossa ordinaria,
A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Qua detractione ab illo auertebant eos
quorum conuersionem ille quaerebat;
et ideo potius hoc dixit,
ut ostenderet magis eos
nocere qui Christo detrahunt,
et per hoc animas interficiunt,
quam qui eius mortalem carnem,
mox praesertim resurrecturam, saeuendo
peremerunt.

Augustinus Hippoensis, *Enarrationes in
Psalmos*, 108.4 (CCSL 40, E. Dekkers &
J. Fraipont eds., p.1587, ll.53-58).